



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638


15. Ottonis M. Imperatoris Diploma Dat. Raue[n]næ, Anno DCCCCLXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*Ottonis Magni Imperatoris Diploma Datum Rauennæ,
Anno DCCCCLXX.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Notum esse volumus tam præsentibus, quam & futuris, qualiter Venerabilis Abbas Theitfridus de Cœnobio S. Maximini, quod est in suburbio Treuericæ Ciuitatis constructum in honore S. Ioannis Euangeliæ, nostram Imperialem Rauennæ adiit clementiam, conquerens ob Aduocatorū incuriam se suamque familiam per multa pati incommoda. Ideo, quoniam idem locus sub Mundiburdio & Aduocatiâ Antecessorum nostrorum, Imperatorum videlicet, siue Regum semper constitutus erat per interuentum dilectæ Coniugis nostræ Imperatricis Adheleidis, Filij quoque nostri Serenissimi Augusti & quiuoci Ottonis; nec non Cononis Wormatiensis Episcopi, & Protolfi Comitis, decreuimus nostræ auctoritatis præcepto, ut idem Abbas, eiisque Successores Aduocatias habeant, quibus velint dandi, quibusque velint tollendi potestatem. Concedimus quoque ipsius predicti Confessoris Christi familiæ, in predicta Treuirorum vrbe, alijsque Imperij nostri Ciuitatibus, vel præfecturis habitandi, ut ea conditione, quam & nostra Imperialis familia, habeant licentiam (quam & semper habebat) intrandi & exeundi, vendendi & emendi, pascendi, & adaquandi prædia Regalibus familiis mutuo dandi, & ab ipsis accipiendi mutuo, & nec Episcoporum aut Ducum, Comitumve aut alicuius iudicariæ potestatis placitum attendant, nisi solius Abbatis & Aduocatorum, quos ipse elegit & constituerit. Addimus etiam, secundum priuilegia antecessorum nostrorum, ut vbi cunque naues Monachorum Deo in prædicto loco sub regula S. Benedicti militantium vel homines eorum peruenient, nullus ab eis Teloneum exigere audeat. Et quoniam sanctorum familiæ Regis Ciuitatibus, vel Palatijs adiunctæ, Regalibus, aliorumque potentium interdum opprimuntur operibus, eadem opera suprascripti Confessoris Christi familiæ pro animæ nostræ remedio perpetualiter perdonauimus. Et ut hoc nostræ authoritatis præceptum inconuulfum & stabile permaneat, chartam hanc conscribi & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum Domini inuisitissimi Imperatoris Augusti Ottonis. Lutgerus Cancellarius ad vicem Rotberti Archicapellani notaui.

Data III. Cal. April.
anno Dominicæ Incarnationis DCCC CLXX. Indictione decima tertia, anno Regni Domini Ottonis XXXV. Imperij autem IX. Filijq; eius Regni X. Imperii autem IV. Actum Rauennæ in Domino feliciter. Amen.



16. Otto.